

1453 in Dalmatia ac Creta Senatus ornandas mandaverit. Decem & Alphonfus fuerat pollicitus, ac Pontifex totidem: ut triginta triremium classis communi nomine expleta ad Byzantii præsidium mitteretur. Sed Othomanus interim cum trecentis & amplius bellatorum millibus, navibus vero trecentis quinque ac septuaginta, in quibus triremes decem & septem, reliquæ biremes minoraque navigia fuiffe dicuntur, terra marique Byzantium fuerat obsidione adortus. Hoc ii qui gerendæ rei interfuere. Veneti annales bellatorum ac navium numerum pene tertia parte extenuant. Erat tunc Græciæ Imperator Constantinus Palæologus: is venienti hosti catenam eximiæ crassitudinis objecit ad angustias sinus, quas intra Byzantium & Peram esse alio loco significavimus. Ea a Gallorum turri ad Peranæ Claræ pontem protendebatur. Ad ejus præsidium tres Venetorum triremes erant, quæ ex Pontica negotiatione sub id tempus redeuntes, ut Christianæ urbi auxilio essent, in portu subsedere. Erant & Cretenses quædam naves, ac cethea una Ligustica eximiæ magnitudinis, cui Georgius Aurius præerat. Inde tres aliæ Genuensium, ejusdem pene magnitudinis ex Chio affuere, commeatus & virorum plenæ. Sub ipsum pene ingressum in conspectum urbis barbarorum naves obviam illis processere; cruentum continuo prælium est utrinque ortum, ac per multas horas dubio Marte distractum. Demum triremibus onerariisque ex proxima statione auxilio subeuntibus, cesserunt barbari, solutoque certamine, ad columnas supra Peram, quo sinu exclusi ab initio se receperant, abiere. Novissime Joannes Justinianus Genuensis, cognomento, Longus, cum cetheis duabus affuit: habebat secum ille trecentos bellatores. Hunc Imperator magnis pollicitationibus amplexus, ad Romani portam stationem habere mandavit. Nicolaus Molinus & Joannes Lauretanus Cherfinam portam præsidio obtinebant: Baptista Grittus, ac plerique alii Veneti nominis, qui ea temporum novitate Byzantii deprehenso fuerant, ipsam Palæologi domum tuebantur. Et quia, barbara classe sinu exclusa, cuncta circa aquas tutæ erant,